



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 58. Æneæ Sylvii colloquim cum Podiebracio

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

tiones describere pergit, carpitque Sigis-  
mundum, quod eos, quos exterminare  
debuerat, non solum liberos fecisset, ve-  
rum etiam bona Nobilium & Monasterio-  
rum perpetuo jure eis possidenda reli-  
quisset (\*), tandem, prosequitur Aeneas,  
cum gens ista, non tantum Calicis dog-  
mate a Catholicis discerneretur, sed e-  
tiam vere hæretici, & in omnibus Wi-  
clefistarum veneno infecti essent, preti-  
nus inde discedere consultum duximus,  
nec ullus nostrum sacris operatus est, etsi  
dies Dominicus esset, ne Taboritæ glo-  
riari possent, Catholici Imperatoris Lega-  
tos cum iis communicasse in divinis.

### §. LVIII.

#### *Aeneæ Sylvii colloquium cum Podie- bracio.*

Aeneas eodem itinere colloquium mis-  
cuit cum Podiebracio, Procopio e-  
jusdem verba patria lingua interpretan-  
te. Frequens, longusque inter eos ha-  
bitus est sermo de communione sub u-  
traque specie, & de conventis cum E-  
pisculo Constantiensi; Agebant etiam de  
Bullis ad Archiepiscopatum Pragensem  
pro Rochisana, deque aliis ad Religionem  
&

---

(\*) Quam fatali necessitate ad id coactus  
fuiisset Sigismundus, jam alibi annotavimus.

**Sæcul. XV.** & discrimina inter Catholicos, ac Hussitas spectantibus. Visum est Æneæ, Po-

A.C. 1451.

diebracium viam concordiae & unitatis Ecclesiæ Romanæ minime aspernari; verum studiose quamdam simulatae Religio-  
nis speciem induit ambitiosus ille Regni Moderator, ut eo securius coronam Bo-  
miæ occupare valeret, quam in pace se-  
se tueri haud posse optime noverat, nisi  
ad Ecclesiæ sinum rediret. Eodem quo-  
que fictæ religionis zelo postmodum to-  
tam Taboritarum sectam exterminavit.

Sæpe Æneas etiam collocutus fue-  
rat cum Doctoribus Taboritarum de au-  
toritate, & infallibilitate Ecclesiæ; pa-  
ruin tamen profecit apud eos, ut potius  
omnem spem populi hujus non barbari  
minus, quam rudis Ecclesiæ reconcilian-  
di abjecerit. Narrat Cœchlæus, quod  
*Cochl. hist.* eodem tempore immaniter sæviente ibi-  
*Hussit. l. io.* dem pestilentia, cum Catholici morbo  
correpti venerabile Sacramentum Corpo-  
ris Christi sibi ministrari efflagitarent,  
per Sacerdotes Hussitas compulsi fuerint  
ad communionem sub utraque specie, re-  
luctantibus vero sepultura Ecclesiastica  
fuerit denegata.

### §. LIX.

*Joannes Capristanus in Germaniam  
a Papa prædicatum missus.*

*Sub idem tempus missus est in Germa-  
niam*